

passionum Christi v.1. propter odium infestissimum Diaboli contra Christum, & fideles ejus, testes participes fiant passionum Christi, variisque martyriis, & persecutionibus afficiuntur: tum labores ποιμενολογίας, vel ποιμενοπίας, ut ita loquamur, dum tales labores pastorales sunt gravissimi, quia contra lupos infernales, homines mundanos, & proprios voluptatum impetus, oves pascere debent: tum labores επισκοπίας, quia non modo pastores, sed etiam vigiles, & inspectores, sunt, qui curiosissimam Ephoriam, & vigiliam agere tenentur in ovium custodiam, vel prudentē χειραγωγίαν &c. propter hos, & alios labores, & plurimos, & maximos, convenientissimum erat, ut ipsis primum coronationis à Principe Pastorum contingeret. (4) Copulationem dominii vani, temporalis, & illiciti, per oppositionem supremi privilegii coronationis aeternae, quia prohibet Petrus v. 3. ne sint dominantes in clericos, cum non sint magistri, sed ministri, non domini, sed potius servi &c. Hinc potius expectent in caelis gloriae coronam immarcescibilem, ut intermissio, vel remotio dominationis fiat indicium futurae coronationis, quia Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam, ut mox v. 5. subjungit, & gravissimam exhortationem annectit v. 6. Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore, quia, juxta Christi gnomen, Luc XII. 14. Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. (5) Copulationem typi, vel exemplaris, & totius gregis, & sequentis gloriae, vel honoris. Nam ministri fideles sunt pastores, gregem praecedentes, & in via recta ducentes, tanquam typi, duces, & ductores, ac exemplaria gregis, adeoque doctrina pastoris doctrina gregis, vita bona pastoris debet esse vita bona gregis, suo modo norma, seu forma, quae ratione coronantur etiam pro grege; vel honor pastoris honor gregis, corona pastoris corona gregis.

9. Sic igitur Apparatus hic materialis in requisitis ministrorum fidelium conspicitur (1) in Apparatu Presbyteratus, sicut Petrus totum caput incipit: Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro Hieronymus in Epistola ad Evagrium recte monet, Presbyterum hoc loco, quemadmodum & in Actibus Apostolicis, & in Epistolis Paulinis, non esse nomen aetatis, sed officii, & dignitatis. Hoc Petrus ipse

B

vide